

habeat naturam famelicam, vellet satiari, & dum habet vnam formam habet eundem appetitum ad aliam, & quantum est ex se nullam includit repugnantiam; neque est ex parte formæ vna similiiter difficultas: totum ergo prouenit ex agente naturali, vt qualitates introductiæ formarum, ac conseruatiæ, concurrenre causa vniuersali combinet illas, vt quælibet combinatio vni formæ, & alia alteri corresponeat.

32. Obijcies 5. omne susceptiuum, quando repletum est, nihil amplius recipere potest, si non euacuetur; at quando materia prima haberet vnam vnicam formam repleta esset; ergo vna numero materia vna forma actuata aliam recipere nō posset, nisi prior ab illa materia discedat. maior euidens est, minorem probant: quia cum forma sit actus, est proprium ipsius potentiam materiæ explere; ergo &c.

Respondeo, distinguo maiorem propositionem; quando susceptiuum repletum est adæquate, concedo; inadæquate, nego maiorem: at quando materia prima etiam si esset susceptiuæ perfectionis formarum, vnam formam haberet, non esset tota repleta adæquate, sed inadæquate; & propterea alias formas prima retenta recipere potest naturaliter iuxta suam replebitatem naturalem, eo modo quo replebilis est, videlicet perfecibilis est.

33. Obijcies 6. nulla forma substantialis potest aduenire formæ subsistenti iam cum materia; ergo nulla forma possit naturaliter aduenire materiæ iam informatæ. antecedens probant aduersarij sic omne quod constituit ens aliquod per se subsistens, non potest aduenire enti præexistenti; subsistenti; at omnis forma substantialis constituit materiam subsistentem; ergo materiæ informatæ non potest alia forma aduenire, nisi prior recedat ab eadem materia.

Respondeo primo huic objectioni, & dico, quod verum est antecedens, non tamen consequentia; ad cuius probationem, concedo maiorem, & minorem distinguo; constituit materiam subsistentem adæquate; nego; inadæquate, concedo; quia & si materia informata vna forma sit subsistens per illam in ordine ad vnum compositum, videlicet ad illud, quod cum materia illæ componit, remanet tamen insubsistens complete respectu alterius compositi faciendi naturaliter cum alia forma, & sic ruit consequentia.

Respondeo 2. nego suppositum; supponunt namque aduersarij.